



Le
Printemps
de la

TRADUCTION

Les traducteurs parlent aux lecteurs

Atelier de traduction du latin

Samedi 28 mai 2016 | 10h00 › 12h00

Avec José Hanq-Turpin

Cicéron, *De finibus bonorum et malorum*, LIVRE V, XIV. 39-40

« Éducation » et perfection des végétaux, des bêtes et des êtres humains.

Apologue de la vigne : en quoi consisteraient pour une vigne l'achèvement et donc la perfection de sa nature, si elle devenait un être humain (étant admis que la Nature est le principe universel) ?

39 Earum etiam rerum quas terra gignit educatio quaedam et perfectio est non dissimilis animantium. Itaque et uiuere uitem et mori dicimus arboremque et nouellam et uetulam et uigere et senescere. Ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis et apta quaedam ad naturam putare et aliena, earumque augendarum et alendarum quandam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agrorum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculet, ut quo natura ferat eo possint ire, ut ipsae uites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque esse fateantur. Et nunc quidem, quod eam tuetur, ut de uite potissimum loquar, est id extrinsecus ; in ipsa enim parum magna uis inest, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur.

40 At uero si ad uitem sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat et per se ipsa moueatur, quid facturam putas ? an ea, quae per uinitorem antea consequabatur, per se ipsa curabit ? Sed uidesne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos eorumque omnem appetitum et si qua sint adiuncta ei membra tueatur ? Sic ad illa quae semper habuit iunget ea quae postea accesserunt, nec eundem finem habebit quem cultor eius habebat, sed uolet secundum eam naturam quae postea ei adiuncta est uiuere. Ita similis erit ei finis boni, atque antea fuerat, neque idem tamen ; non enim iam stirpis bonum quaeret, sed animalis. Quid ? Si non sensus modo ei sit datus, uerum etiam animus hominis, non necesse est et illa pristina manere, ut tuenda sint, et haec multo esse cariora quae accesserint, animique optimam quamque partem carissimam, in eaque expletione naturae summi boni finem consistere, cum longe multumque praestet mens atque ratio ? Sic extitit extremum omnium appetendorum atque ductum a prima commendatione naturae multis gradibus adscendit, ut ad summum perueniret, quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.